



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē**

**Barbosa, Agostinho**

**Lipsiæ, 1697**

Cap. LII. Uxor.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

non debet excludi. arg. §. igitur. i. ibi: quæ enim invidia est. Inst. per quas person. reb. acquiruntur. c. accessorium. 42. de R. I. in 6. ubi post veteres. Peck. l. eriam si. vers. cui consequens. C. de iure dot. Limitatio hujus regulæ est in l. ult. §. sed cum in secundam. C. de furt. de qua in Racemat. meis ad illum tit. pag. 320. ubi vid.

## VII.

Ea quæ communiter omnibus profunt, iis quæ specialiter quibusdam utilia sunt, præponimus. Nov. 39. c. i. vid. Bernegg. c. 3. Idol. Laurent. conf. Tacit. 14. Ann. 44. ita cum per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius est periculum, sed lateat strages, tunc plurimorum detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sincera claritas subvenire possit. Rebuff. in tract. de decim. q. 13. num. III. anonymus apud Be-fold. l. conf. 9. n. 9. vide late Klock. de contribut. c. 12. num. 146. & seqq. In principis tamen administratione non semper & præcise utilitas requiritur, neque enim res hæc ad naturam negotiorum gestorum est exigenda, ut tum demum ratus sit habendus actus si utiliter gestus sit: nam ad tales angustias Reipubl. imperantem redigere, ipsi Reipubl. esset periculosum. Hugo Grotius lib. 2. de jure bell. & pacis c. 14. n. 12.

## VIII.

Utilitas unius sic spectanda est, ut sine incommoditate alterius conferat. l. 3. §. 2. de rivis. l. 31. de pos.

Μὴ μοι τὰ κοινὰ ὡς πόλις, δέ.

Nolo mihi discar quæ ad ostentationem

Sed quæ utilia sunt Reipubl.

Ex Euripid. laudat Aristot. polit. vid. Caspar. Hoffman. præfat. tr. de generat. hominis.

## IX.

Utilitatem publicam promovere intentans, licet aliquo modo delinquat, excusatur, & nunquam sit infamis. Itaque intuitu Reipubl. deferens aliquem, licet succumbat, non incidit in poenam delatorum l. 2. pr. de jure fisci l. 9. ex quib. caus. infam. irrog. Brunnem. ad l. 3. C. de Delat.

CAP. LI.  
Vulgus.

Uti vulgus opinatur, ita res se habere præsumitur. l. 1. in princ. verb. circumcolentium ff. de fluminib. argumentum enim ab opinione vulgi valde efficax esse & valere ad conjecturandam mentem defuncti, colligitur ex l. cum de lanionis 18. §. a finem 2. ff. de fund. instruet. unde omnem intellectum esse extraneum, qui in auribus vulgi non sonat, dixit Bald. in extravag. de pace Constant. Ita paupertatem probari per opinionem vulgi, refert gloss. in l. ubi ad hoc. C. de jure dot. vid. Everard. in topic. à vulgi opin. loc. 12. n. 1. imo & verba reservationis intelligi debere sicut vulgus opinatur, patet ex l. librorum 52. §. quid tamen 4. de leg. 3. l. 7. §. 1. ff. de suppell. legat. l. 79. §. i. ibi: audisse se rusticos, de legat. 3. l. 87. de V. S.

Intellige verum quando consuetudo illa sermonis cum opinione eruditorum conveniat, aliàs

nimum absurdum, imò periculosum esset dicere, oportere abusu modum loquendi personarum illiteratarum seu vulgarium verbum inciviliter prolatum extendere atque sic propriæ significationi præferri. Bald. in c. de success. feud. & in l. 1. de success. edict. Ab imperita enim multitudine qui pendet, hic inter magnos viros non est numerandus, teste Cicerone, cum non modo non gravissimum sit multitudinis testimonium. Cic. lib. 2. de finib. sed plerumque ne honestum quidem quod vulgo gloriosum est. idem Cicer. lib. Academ. quest. neque enim placere potest populo, cui placet virtus, si quidem cum malis artibus popularis favor quaritur, similem te illis facias oportet, non probabunt, nisi agnoverint, verba sunt Senecæ lib. 4. epist. 29. ad fin. add. & locum ex Ciceron. 5. Tusculan. pag. m. 245. & lib. 2. pist. ad Quintum fratrem, cum non sit sapientis (ut inquit Cicero) ab insipientium sermone pendere, quocirca vanas voces populi minime audiendas esse, ex l. decurionum. C. de pæn. probat Hartm. Pistor. 1. q. 30. numer. 35.

## CAP. LII.

## Uxor.

## Axioma I.

Uxor & vir reputantur una eademque persona & una caro. Genes. cap. 2. & 3. cap. hæc imago 13. 33. q. 5. Unde dicit text. in l. adversus 4. C. de crim. expilat. hered. quod uxor dicatur sociæ viri tam divinæ, quam humanæ domus, quem ad hoc allegant Præposit. in §. 2. in notabil. 6. de spons. duor. & ante cum Speculat. in tit. de feud. §. quoniam vers. 20. idem Præposit. in c. 1. in notabil. 3. de Conjug. leprosor. & in cap. Martinus. notabil. 1. de cognat. spiritual. Bald. in l. cum dotem. §. si maritus, ad fin. ff. solut. matrim. Jalon. in l. 1. rer. amotar. per ill. text. Corn. conf. 5. in hac consultatione. in pr. lib. 1. Claud. de Seyfel. in l. si constante. ff. solut. matrim. Forster. 2. conf. Marp. 6. n. 5. vid. Boeckel. de public. judic. disquis. 5. n. 18. Intellige scilicet secundum fictionem, quoad procreationem & alia bona matrimonii, prout declarat Mar. Socin. in repet. cap. audientiam. in 7. quest. principali col. 21. vers. sed hoc communiter. de homicid. Realiter enim alia est persona viri, alia uxoris, & ideo diversimodè considerantur l. uxori. 18. ubi Ludov. Gomez. ff. ad L. Cornel. de fals. hinc proprie neque affines neque propinqui dicuntur Barbat. in repet. l. cum acutissimi. col. 12. C. de fideicom. per text. in l. 1. C. Und. vir. & uxor. neque proximi. l. cum alienam 10. ibique Alex. notab. 1. C. de LL. conjuncti tamen perhibentur propter matrimonium, & ideo regulariter una persona pro alia non obligatur. tot. tit. C. ne uxor pro marit. Ludov. Gomez. ad §. affectiones Inst. de ad. n. 13.

## II.

Uxor forum & domicilium viri sequitur, non vir uxoris. l. cum quædam 19. & ibi D. ff. de jurisdiction. l. exigere. 65. ff. de judic. ubi Bald. per ill. text.

text. dicit quod uxor trahatur ad aliud domicilium vi matrimonii & l. qvæ 32. l. ult. §. item. ibique Bart. ff. ad Municipal. l. ult. C. de incol. l. 1. C. de mulier. & in quo loco l. mulieres. 13. C. de dignitat. Conf. Arg. 1. conf. 63. num. 83. & 104. Unde etiam ejus civitatis esse perhibetur, cujus vir est. gl. in l. cives. ibique Bart. & Ang. in fin. C. de incol. Bald. conf. 139. statuto communis Affsi col. 2. vers. secundo est considerandum. lib. 5. ubi pulchre ait quod ea proprie dicatur esse civis ejus civitatis, quæ comprehenditur sub statuto loquente de civibus, siue de his quæ sunt alicujus civitatis, quia etiam eam esse ejusdem originis. cum gl. in l. origine. C. de munic. & orig. statuit Bald. in sua margarita verb. mulier. ubi eum text. facit singularem. & in l. pen. in pr. col. 1. vers. sed quo ulterius. ff. de jurisdict. ubi per eum dicit, quod per matrimonium uxor uniatur marito tanquam principaliori, mutatque forum originis, adeo ut non possit in sua originali terra conveniri. Conf. Arg. d. conf. 63. num. 107. Bald. in rubr. ff. solut. matrim. qvæ de causa mutare originem posse quoad omnia, per quæ mulieris persona posset retrahi, & separari a servitiis viri, & ideo non posse in patriam revocari, vel ad munera personalia, vel ad judicia trahi, trad. Bart. in l. fin. §. item rescripserunt ff. ad municipal. vid. late Tiracvell. in l. 1. num. 28. vers. illud gl. 1. de LL. connubial. & in verb. pouvoir. de son mary. n. 54. vers. & hoc quidem gl. 2. post Leges Connubiales. Pacian. 1. conf. 4. n. 95.

## III.

Uxor marito obsequia & reverentiam debet. l. unic. §. cum autem 7. C. de rei uxori. at. l. 14. §. ff. in fin. ff. solut. matr. c. nolit. 16. manifestum 11. c. mulierem. 17. 33. q. 5. Myns. conf. 34. numer. 1. Gædd. 3. conf. Marp. 28. n. 160. quia caput uxoris est, & sunt unum corpus, unaque anima. juxtagl. in l. sicum dotem 22. §. 7. vers. participem. ff. solut. matrim. cap. ordo. 12. 35. q. 5. Schneidew. ad §. penales. Inst. de action. num. 49. quocirca eam resplendere sub mariti radiis dicitur. l. famina 8. ff. de Senator. l. mulieris. 13. C. de dignitat. quo pertinet l. fin. C. de in. ol. ubi Impp. Mulieres (inquunt) honore maritorum erigimus & genere nobilitamus, quibus addi possunt l. cum te 10. l. fin. C. de nupt. Nov. 105. cap. 2. in pr. Jalon. in l. divortio. col. 3. ff. de V. O. Johan. Montigni. in tract. de bigam. qvæst. 1. num. 13. Frider. Mindan. de continentia cause. cap. 19. n. 40. Dec. in l. 1. col. 3. C. de edend. Curt. jun. conf. 6. n. 14. vers. qvæto ex alio, atque gaudet ejus privilegiis l. 2. C. de Episcop. & Cleric. l. ult. C. de injur. l. medicos. 6. l. ult. C. de profess. l. 6. C. de fabricens. l. 2. C. de Comm. Confist. l. 9. C. de prox. sac. scrip. l. ult. C. de prin. agent. in reb. l. ult. C. de privi. schol. cum censeantur duo connexa. cap. nec illud. 20. 23. q. 5. cap. admonere. 8. 33. qvæst. 2. l. pen. ff. de rit. nupt. Moron. de Treug. & pace. qvæst. 134. n. 16. Nolden. de stat. Nobil. c. 6. n. 52. quæ ratione etiam injuria videtur & viro facta esse, quia splendor, qui ex viri radiis in uxore coruscat, vix obsecratur, nisi & radii mariti, ex quibus ille proficiscitur, obducantur. l. sicut. §. fin. C. de in jus vocand. vide Vult. 3. conf. Marp. 34. n. 169. ubi a-

deo ampliat, ut amisso etiam marito uxor in ipso viduo statu iisdem privilegiis gaudeat, quæ ante obitum ejus competebant. l. si filius 22. §. 1. ad municipal. d. l. mulieris. 13. quia vidua saltem fide adhuc existit in matrimonio mariti proxime defuncti. l. fin. C. de bon. matern. & dicitur esse de ejus familia Bart. in l. fin. C. de V. S. Tiber. Decian. conf. 500. num. 25. vol. 4. quod tamen admittitur, dum nimirum in viduitate permanserit. l. quoties 3. ibique Bart. C. de privileg. scholar. Socin. conf. 81. in pr. vol. 3. Cagnol. ad l. cum qvædam. ff. de jurisdict. n. 5. & ob id etiam ligari turtis ipsius civitatis perhibetur. Bald. conf. 439. n. 4. Socin. in d. l. cum qvædam. numer. 3. Imol. conf. 73. in casu proposito. col. fin. Socin. jun. conf. 12. volum. 3. Barthol. Bettazol. 1. conf. crim. 11. n. 5.

## IV.

Uxor marito cohabitans præsumitur scire facta mariti. Cravett. conf. 123. n. 1. vol. 1. & conf. 271. n. 8. usque ad fin. vol. 2. Roland. à Vall. conf. 19. n. 38. vol. 1. Cephal. conf. 492. n. 32. vol. 4. Vult. 2. conf. Marp. 29. n. 143.

Intellige verum in conventionem conjuncta personæ puta de ætate, valetudine & similibus, quæ latere non possunt; alia enim facta viri uxorem nescire, nisi probetur ejus scientia, patet ex l. si legibus 16. ibi: probatum. C. de Episc. audient.

## V.

Uxor debet esse in officio mariti, ejusque ad opera adstringi. l. sicut patronus. 45. de rit. nupt. l. qui ex libero. 11. C. cod. l. 2. C. de obseq. patron. præst. Ant. Fab. in C. suo. de dedit. libert. def. in n. 1. eam enim viro operari teneri text. est in l. sicut 48. de oper. libert.

Intellige nimirum quoad operas obsequiales, puta parare mensam & lectum, non vero quoad operas fabriles. Bald. in l. col. 2. n. 7. vers. tu dic. C. de legat. Abbas. in c. literis. col. ult. ad fin. de restib. Alex. conf. 100. super primo casu lib. 1. vid. Joseph. Ludov. decis. 28. p. 1.

## VI.

Uxor pro marito conveniri non potest, tot. tit. C. ne uxor pro marito & ibi Pac. in analysi. quia Sciti Vellejani exceptione juvatur. l. 1. C. d. tit. jure enim civili ejusmodi obligatio uxoris pro marito, siue suscepit obligationem veterem. l. 4. l. ult. §. 4. ad SC. Vellej. eique se ream adjunxit. C. A. 54. th. pr. d. tit. Bocet. class. 2. disp. 17. th. 33. siue novam. Treutl. 1. 24. th. 1. lit. D. Argent. 1. conf. 90. n. 27. qvæst. 6. ipso jure nulla & invalida est. Nov. 134. cap. 8. Auth. si qua mulier. C. ad SC. Vellej. Johann. Lopez. de lucr. mariti & uxori. c. 10. n. 11. Rittersh. in exposit. Novell. pag. 3. c. 4. n. 16.

Limita I. nisi doceatur in utilitatem maritis conversam esse. d. Auth. si qua mulier d. tit.

Limita II. nisi maritus principilium gesserit, tunc enim & res dotales huic obligationi esse obnoxias. per l. 4. C. de in quib. caus. pign. tat. contr. testatur Pac. in anal. C. d. t.

Limita III. si consuetudine vel statuto aliter receptum ac constitutum sit. Myns. 1. obs. 29. Treutl. disp. 6. th. 7. lit. l. vol. 2. Coler. part. 1. de process. Exec. cap. 3. num. 39. Gædd. 1. conf. Marp. 24. n. 15. Bald.

15. Bald. in l. dotis tua. C. de jur. dot. Bart. in tract. de Repressal. q. 11. n. 7. Jalon in §. actionum. n. 79. In ff. de act. Rota decis. 1. de consuetud. in nov.

Limita IV. si mulier adhuc tutrix filiorum primi matrimonii nondum distractis rationibus suae administrationis ad secunda vota convolverit. l. pen. C. quib. in caus. pignus tacit. contrab. ibiq. Bald. in fin. Hyppolit. sing. 248. incip. conditio mulierum. n. 1.

Limita V. in uxore cum marito communem negotiationem vel cauponariam exercente, so zu offenen Kramläden oder Märck sitzen. l. 1. §. pen. ff. de exerc. act. l. plane. 24. ff. pro socio. quo pertinet Reip. Argent. constitutio vom außgeerbten Ausgehen / S. da sichs begeben. add. & Chailan. in consuetud. Burgenf. rubr. 4. §. vers. publig. n. 8. David Mævius in jus Lubecens. lib. 3. tit. 6. art. 21. n. 16. & 34. Benevenut. Stracha de Mercatur. pag. 1. n. 6.

Limita VI. si uxor major 25. annis, so ihres vollkommenen Alters ist / pro marito vel extraneo, cum obligata non esset, solverit l. 1. l. Senatusconsultum. 4. §. fin. l. quamvis. 9. C. ad SCtum Vellejan. Gail. 2. obs. 91. n. 7.

Limita VII. quando se uxor principaliter obligaverit, maritus autem pro ea fidejusserit. l. Seja mancipia 28. ff. ad SCtum Vellej. Francisc. Marc. q. 508. n. 11. l. 3. ibi: nisi ipso. C. ne uxor pro marito. Carpi. P. 3. Constit. 20. Defin. ult. Bernh. Græven. lib. 2. pract. concl. 90. n. 16.

VII.

Uxor pro marito absente agere vel appellare non potest. l. quia 4. C. ubi Pac. in anal. n. 8. C. de procur. l. alienam 18. C. eod. l. 2. in pr. de R. I.

Limita, nisi pro libertate agat. l. 3. ff. de libert. causa. quam & in Camera Imperiali admitti mandatumque cum vel sine clausula ad relaxandum maritum pro facti qualitate petere ac obtinere posse, docet Gail. 1. obs. 133. n. 10.

II.

Uxor est audacior ad contradicendum marito, quam filia patri. Salicet. in l. transactionem. C. de transact. quem sequitur & Jalon in l. pactum dotale. n. 5. col. fin. vers. confirmo tertio per illud. C. de collat. add. Tiraquell. in verb. contemter. gloss. 5. num. 37. vers. & hujusmodi quidem, de LL. Connubial. Pacian. consil. 54. n. 77.

IX.

Uxor in potestate patris remanet, l. si uxorem. C. de condit. insertis. Pacian. lib. 2. de probat. c. 3. n. 33. Solis enim nuptiis liberi non solvantur patria potestate. l. 7. C. de nupt. l. 1. C. de bon. qua lib. §. 2. Instit. ad SCtum Tertull. atque ita uxor sub duorum est potestate. Gothofred. ad d. l. 12. C. de collat. lit. E. in mariti saltem duobus in casibus, (1.) quoad obsequia matrimonii, gloss. in pr. ad SCtum Tertull. super verb. parentis. (2.) quoad operandum, quia tenetur operari maxime in his, quæ pertinent ad sustinendam curam domesticam. gloss. singul. in l. sicut. ff. de oper. libert. in reliquis vero in patris potestate remanet, vid. Angel. ad d. pr. Instit. ad SCtum Tertull. super gloss. parentis. Paulus de Castr. in l. rei judicata.

§. Socero. ff. de dot. n. Attrim. Conrad. Mauser. in tit. de nupt. p. m. 333.

X.

Uxor marito non est affinis, tamen si sit principium affinitatis. l. non facile 4. §. sed quoniam 3. ff. de gradib. & causa efficiens affinitatem inter utriusque cognatos. l. non ideo minus. C. de hered. instit. l. 1. C. unde vir. & uxor. Bald. in l. affinitatis. C. commun. de success.

Intellige nimirum propriè: unde licet vir & uxor propriè affines non dicantur dd. l. tamen dispositio, puta statuti vel testatoris, eos affines appellans propterea non vitatur d. l. affinitatis. d. l. non ideo minus, quia quod juris est de affinibus, debet merito quoque esse de principio & causa affinitatis, puta conjugibus, Paul. de Castr. post Bald. dd. locis. propter quod enim unumquodque tale est, illud magis tale est. Aub. multo magis. C. de SS. Eccl. add. Cyn. in l. maritus per ill. text. C. de procur. Conrad. Mauser. in §. affinitatis. Instit. de nupt. pag. 365.

XI.

Uxor unica tantum, non etiam altera eodem tempore ducenda est. cap. gaudemus. ibi: cum ab initio una costa in unam feminam sit conversa. extr. de divor. Conrad. Maus. ad tit. Instit. de nupt. in pr. pag. 328. Qui enim duas eodem tempore uxores habet, legem divinam offendit. Genes. cap. 2. ibi: adharebit uxori suæ. Exemplum est in c. 4. ubi legitur, Lamech, quod duas duxerit uxores, adulterii crimine damnatum fuisse, latissimè Menoch. lib. 2. arbitr. judic. cas. 420. per tot. ubi uxorum pluralitatem non tantum lege Evangelica, sed etiam Jure Naturali, Civili, & Canonico damnari concluditur.

XII.

Uxor contra virum examinari non potest, nedum torqueri. l. Julia. 4. ff. de testib. l. 3. C. eod. Bald. in l. fin. C. de accusat. Marfil. in l. 1. §. Divus Antonin. in pr. ff. de quest. Farin. 1. consil. crim. 19. n. 13. consil. 20. n. 1. & in tract. de testib. q. 54. n. 219. & seq. ubi facit regulam negativam, quod scilicet uxor non possit cogi ad testificandum contra virum suum, eamque limitat tribus modis: (1.) in causa hæresis, (2.) quando veritas aliter haberi non possit, (3.) in marito, qui bene potest cogi, ad testificandum contra uxorem.

XIII.

Uxor à viro, non contra vir ab uxore defendi æquum est. §. patitur. Instit. de injur. l. quod si 2. ff. de injur. nec modo agere prohibetur uxor nomine injuriæ mariti. d. l. 2. injur. & d. §. patitur l. sancimus, de procurat. l. alienam 18. C. eod. sed etiam quod plus est, non potest absentem maritum defendere, licet causa defensionis videatur privilegiata. l. quia absente. C. eod. ubi Cyn. Oldrad. Bald. Castr. Salicet. Jaf. notat, quod uxor sicuti non admittitur ad agendum nomine mariti, ita nec ad defendendum, id quod sequitur Joh. de Arnono. sing. 51. quæro. ubi mulierem non posse procuratricem esse mariti, quamvis interdum possit procurare pro patre aut liberis. l. faminis. 41. in pr. ff. de procur.

XIV.

## XIV.

Uxoribus p[ro]p[ri]a legitima satisfaciendum est. Bald. Angel. & communiter Dd. in l. Papinianus §. si quis 15. ff. de inoff. testam. & l. 2. C. de revocand. que in fraud. creditor. late Jaf. consil. 181. in present. per totum. vol. 1. ex l. sel. nus 36. C. de inoffic. testam. Jafon in l. cum filiofam. 11. n. 46. de legat. 1. l. coheredi 4. §. eum filia 2. ff. vulgar. & pupill. substitut. fac. Novell. 18. de trient. & semiss. in pr. l. quanquam 10. ubi Dd. C. ad L. Falcid. vide late Wesemb. 1. consil. 50. n. 23. & 7. consil. 92. n. 4. Jaf. in l. cum filiofam. 11. n. 46. de legat. 1. Schurf. consil. 96. quod predicta. n. 11. cent. 1.

## XV.

Uxor subdita debet esse viro. cap. femine. 30. q. 5. cap. est ordo & seq. 33. q. 5. quia maritus est caput & dominus uxoris. cap. hac imago 33. q. 5. ideoque mulier imperare desiderans contra DEUM peccare dicitur. cap. cum cap. 33. q. 5. add. Contr. Mauser. ad tit. 9. de nupt. pag. 332. ubi ait, hunc textum non ita intelligendum esse, quasi omnino sit ancilla & mariti famula, sed potius cum temperamento & civili modo. Quia etiam ei utile quoddam dominium concedendum, dum-

modo recognoscat superiorem & directum domini putat maritum: quare si vellet ea tale utile dominium sibi arripere, quod non solum non recognosceret directum dominum, imò illi contrariaretur, sicut præscribens. arg. eorum quæ dicit Bart. in l. si quis vi. §. differentia. ff. de acquir. poss. hoc esset perquam durum & neutiquam ferendum, quæ de causa etiam eleganter refert gloss. in cap. fin. in verb. costa. ead. caus. 33. q. 4. quod mulier non ex capite, nec ex pede, sed ex costa Adæ sit facta, ita ut nec sit famula, nec domina, sed medium quoddam, & socia mariti perpetua. cap. qualis. 30. q. 5. l. 1. ff. de rit. nupt. l. adversus. C. de crimin. expilat. heredit. Vult. 1. Consil. Marpurg. 30. n. 74.

## XVI.

Quæcunque eminentia marito vel ex natalitate vel ex singulari privilegio competit, illa uxori communicatur, quia viri conditionem sequitur uxor, l. 8. ff. de senat.

Limita: nisi ad secunda vota transierit. Quotamen casu impetrare poterit à Principe, ut prior rem dignitatem retineat. l. fin. ff. de senat.

## FINIS LIBRI DECIMI NONI.

## LIBER VIGESIMUS ET ULTIMUS.

## CAP. I.

## Zelotypia.

## Axioma I.

**Z**elotypia purgatio, quæ olim apud Judæos fiebat, hodiernis moribus in desuetudinem abiit. cap. in lib. 21. caus. 2. q. 5.

## CAP. II.

## Zelus.

## Axioma I.

Multi Sacerdotum culpam zelo DEI se persequi profitentur, sed dum indiscrete hoc agitur, sacrilegii facinus incurrunt. cap. non in perpetuum. 23. q. 3. ac injuriarum actione tenentur. cap. remedium. 11. q. 13. ac tenentur ad omne interesse, & ad majorem poenam, si visum fuit hoc expedire. cap. sacra extr. de sentent. excomm. simonica enim hæresis, quæ primò contra DEI Ecclesiam diabolica plantatione subrepsit, & ipso or-

tu sub zelo Apostolicæ ultionis percussa atque damnata est. cap. fertur. 27. 1. q. 1.

## II.

Zelus propriè est tristitia de bono alterius, non ex eo, quod ille habet, sed ex eo, quod sibi deest. Arist. 2. Ethic. allegatus ab Angelo in summa, sub voce Zelus. Et si iste zelus sit circa bona honesta, est laudabilis, secundum illud 1. Cor. 14. æmulamini charismata vestra; si vero de temporalibus, tunc potest esse cum peccato, sicut avaritia: si autem quis dolet de bono alterius, quod eum excedat in talibus bonis, tunc est invidia. cap. neque 3. distinct. 90.

## III.

Ubi major numerus est, zelus etiam melior præsumitur c. Ecclesia vestra. (ubi gloss. allegat. l. ita stipulatus. §. credendum est. ff. de V. O. extr. de Elect.)

## IV.

Zelo justitiæ fieri debet vindicta, non amoris vindicta, nec ex odio. cap. ea vindicta 51. 23. q. 5. add. & cap. veni justitia distinct. 46.

## FINIS LIBRI VIGESIMI ET ULTIMI.